



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 16. in larvatos moriones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

§. 8.
Peroratio elegans
Chryso-
stomi.

Finio verbis Chryso-
stomii ita intonantis hom. 54.
ad popul. tempus est belli (hiscè po-
tissimum Bacchanalibus, quibus dæ-
mon quasi solutus de catena into-
lerabilius ferocit) *tempus est belli,
tempus est certaminis, tu verò sedes
in delicijs? stat stridens dentibus ad-
versarius, tu autem mensis vacas?
Christus fame tabescit & tu voracitate
temetipsum distendis? nunquid ma-
standi sumus, quoniam nos ipsos sagi-
namus?* faginate, si placet per hos
dies, lumbricis & bufonibus corpo-
ra vestra, imò dæmoni & gehennæ
faginate animas vestras; sit venter
Deus vester, sed & finis interitus.

Fovete *ventris dæmonem* dæmonū
nequissimum, ad ejusq; gustum in-
gerite & egerite, *donec exeat per
nares vestras & vertatur in nause-
am* num. II. v. 20. ego nec benedi-
ctionem vobis impertio, sed indi-
gnationem & væ, fartagines igni-
tas, rogos inextinguibiles, esuriem
æternam annuntio, ite, edite, bibi-
te, ludite, IESU Crucifixo illudite,
post mortem nulla voluptas, sed
æternatura calamitas & nescia
finis, nescia salutis, nescia
indulgentiæ qua-
dragesimæ.

* * *



PHILIPPICA XVI.

In larvatos moriones.

DOMINICA EADEM

Cæcus quidem sedebat secus viam Luc. 18. v. 35.

§. I.
Stultorū omnia
plena.



Quando verum est,
quod ethnicus dixit
orator: stultorum
plena sunt omnia,
hiscè ter infautis
Bacchanalium feri-
js inter Christianos est verissimum:
plena stultitiarum omnia, pu-
det non desipere, pudet impuden-
tem non esse, pudet extra divina-
rum legum, & conscientiæ orbi-
tam non exerrare; O cæci non se-
cus viam sed in regia inferni via,
quàm celeri passu decurrunt Libe-
ri Patris alumnuli serò exclamaturi:
nos insensati ergo erravimus à via.
Atque ut alios errores, cæcitates &
stultitias his ferijs comitti solitas
præteream, larvatos solum inspi-
cere & falsam eorundem insaniam
expendere imò conspuere & dete-
stari placeat.

§. 2. Quod malè moratis filiis suis Si-

meoni & Levi, vasis iniquitatis bel-
lantibus, propter Sichimitas ne-
fariè intereptos afflictissimus patri-
archa Jacob dixit Gen. 34. v. 30. *turbā-
stis me & odiosum fecistis me Chana-
næis Pherezæis*, idem repetere ho-
die Christus & conqueri potest;
ô malefani catholici odiosum feci-
stis me Turcis & Judæis, qui vi-
sis larvis vestris & insaniâ falso cum
cachinno exclamant: proh qualis
est natio Christianorum, qualis De-
us & legislator eorum! ecce triduo
per annum insaniunt omnes va-
riâsque induti formas discurrunt,
bacchantur, pergræcantur & pu-
det impudentiæ specimena insigne
non exhibere; elapso verò triduo,
ubi ad mentem redeunt, cinere ca-
put conspergunt, triste quid sub-
murmurant, saccos induunt & de-
liria sua expiare fatagunt; proh ri-
diculam gentem! vah legem & le-

Larvati
exosi red-
dunt legē
Christi.

L 2

gis-

gislatorem mirabilem! ô dignam omnium odio & execratione religionem! ita Turcæ & judæi, quibus larvatorum stultitia odiosam facit. Christi legem & immodicam gloriæ nostræ aspergit maculam; quanto fatius foret pro larvis molas asinarias collo appendi inque profundum maris demergi, quam scandalum judæis, stultitiam gentibus, sarcasmos turcis creari, legemque Christianam ultimis probris odiisque adversariorum propinari. Cur in paschate, aut pentecoste vel quovis alio anni tempore larvas non induitis & morionum mores refertis? dicetis: quia moris non est. & cur in paschate moris non est? quia contra mores est bonus. quasi verò aliquando moris esse debeat, quod semper moribus honestis repugnat; quasi verò pulchrum sit uno anni tempore & non alio insanire, usquequo parvuli diligitis infantiam & stulti ea, quæ noxia sunt, concupiscitis & imprudentes scientiam odio habetis? despexitis omne consilium meum & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo.

§. 3.
Infelices
larvatorum
tragediæ:

Permittit non rarò divina Justitia tristissimos eventus, quos larvati vel inferunt vel fufferre coguntur, ut alienis cauti periculis Larvas execrentur. Nondum Germania digessit dolorem, quem ex trium illustrissimorum Comitum Hohenloënsium in flore ætatis irreparabili jacturâ concepit, quando hi Faunos in Bacchanalibus induiti consanguineum suum Eberhardum oblectare gestientes, ex prolapsa per incuriam ephæbi face diem cinerum primâ die Bacchanalium celebrârunt omnibus tribus intrâ trihorium anno 1570. in arce Waldenberg miserè incineratis. Vix evasit ferales ejusmodi cineres Caro-

lus VI. Galliarum Rex, cum larvatus choreas duceret, admotâ autem à Duce Aureliani face ignem larva regia conciperet, incenderetque ceteras, quatuor per inextinguibilem flammam extinctis, & Rege per Syrma Regina Biturigis, quo involutus ad sopiendâ flammam fuerat, vix in vivis servato. Recentius & tristius est, quod in Bacchanalibus aâi quadragesimi secundi hujus sæculi Parisijs contigit, cum larvati histriones solennibus nuptiis sub secundarum finem mensarum sese insinuantes eleganti tripudio convivas recreârunt, donec sponsum astu sevocare inque vicino cubiculo strangulare ac larvâ mortuali contegere potuissent, quem humeris suis in convivij locum inferentes, saltu funereo mirè omnes oblectârunt, donec signo dato, relicto super pavimentum Sponso, qui verè partes mortui agebat, omnes se subducunt. jubetur tandem & residuus exesse, vellicatur, truditur, propellitur; at frustra, dum detractâ larvâ sponso fuisse deprehenditur, qui ludicer morio putabatur. ô luctus! ô lachrymæ! ô tristes nuptiæ! ô in felicissima Bacchanalia! credite larvatis, arrirete, plaudite, certi plausum vestrum in planctum, risum in luctum, saltum in exitium omnino abiturum. illuditur hodie à larvatis morionibus sponso animarum Jesu, quem rursus veste albâ, ut quondam Herodes aut ludicrâ purpurâ, ut Pilati satellites vestiunt, dum sese induunt in larvas, coguntque rursus in semetipsis crucifigi filium DEI ostentui eundem coram Turcis & barbaris habentes. at videbunt aliquando in quem transfixerunt & carò solvent lusum atque larvas, quas perditè amaverunt.

Fuit teste Cresolio Antholog. p. 1. c. 12. sect. 12. in pincipe Italiae urbe Bacchicus morio, vir ceterâ pr-

prudens & solers, qui ut ludum populo faceret, curram planum & apertum adornavit, purpureis velis & clavis aureis fulgentem. quatuor Neapolitanis equis in purpureis sagulis tractum, spectabatur ipsemet morio cum totus auro vestitus; ad cuius pedes rarissimæ formæ adolescententes, quasi alterius orbis genij, voce & fidibus amœnissimè modulabantur. sequebantur servi honorati, juvenes lectissimi, cum jucundo urbis universæ spectaculo. ubi forum & plateæ præcipuæ aliquoties obitæ opiparo convivio omnes comædi sunt excepti. plaudebant multi, illudebant plurimi. Creditores verò sapienter veriti, nè mutuo datam serò reciperent pecuniam irruunt in hominem, repetunt mutuum, exprobrant amentiam & luxum. ille velut cornicula, deplumatus, illusus, in carcerem insuper abreptus, extremum paulò post diem in eodem præ dolore obsit. has nimirum larvati ganeones merentur caveas, ut respiscant & larvas suas perhorrescant.

Sophonix i. v. 8. minatur ferius larvarum osor scelerumque sub larvis patrari solitorum ultor DEUS: *in die Hostiæ Domini visitabo super principes & super filios regis, & super omnes qui induti sunt veste peregrinâ.* quæ est dies hostiæ in visitationem severam constituta? ad literam, dies excidij Solymæi denotabatur, quin ipsa futura erat hostia, inquit Cornelius, mactanda à Philisthæis Domino, possit & per diem hostiæ hodierna antecinerialis Dominica intelligi, quâ per omnes Societatis nostræ Ecclesias sacrosancta Hostia publicæ venerationi prostat, indictis quadraginta horarum precibus, propositisque de thesauris Ecclesiæ indulgentijs plenarijs, quotquot in communionem precum & fractionis Eucharisticæ panis perfe-

verârint, in hac die hostiæ visitabit Dominus super omnes veste peregrinâ seu larvâ histrionicâ indutos, ut vel in flagranti eosdem corripiat, vel in diuturniorem ultionem meritas pœnas differat, & quemadmodum nunc illi per larvas, ita ipse per cancellos; Vel (ut ajunt) per digitos prospiciat, dissimulatâ tantisper pœnâ. *Visitabo super principes,* qui Bacchanalisticas stultitias non prohibuerunt, non puniverunt, non aboleverunt, sed laudârunt, sed foverunt, sed præmio affecerunt, visitabo super filios regis seu Christianos, qui Magni Regis filij sunt, *filij excelsi omnes,* quod ab excelsis cogitationibus filiorum DEI nimirum quantum degenerârint, larvas induti, & vivas amentium imagines mentiti, qui ad increatæ imaginem Sapientiæ cõditi sũt. Visitabo super omnes, qui induti sũt veste peregrina idololatris propriâ, unde & Chaldæus legit: qui perstrepunt ad cultû idolorum; idololatrias enim se simulant, qui eorundem exemplo larvas induunt, si præsertim femineæ vestes sint, contra quas fulmen anathematis detorsit Concilium Gangrense, ut habetur distinct. 30. c. *si qua mulier,* hæc enim vestium unisexui propriarum permutatio idololatriam sapit, ut sapientissimè observavit Cardinalis Cusanus: *idololatriæ enim mulieres vestes viriles & Sarma in honorem Martis induebant, & viri muliebres in honorem Veneris.* dicetur proinde insipientissimis morionibus in die visitationis, quod Senacherib exprobatum fuit: *insanisti in me 4. Reg. 19. furebas adversum me, & ego nunc furorem meum effundam in te.*

Audite larvati, scitisne, quo prognati sitis de genere? quis pater vester, quis author stemmatis? *progenies viperarum, vos ex patre diabolo estis.* Primus in *mascara* dæmon fuit

§. 4.
Larvatorum pœnæ.

Cusl. 2. exercitat. ser. ibant Magi.

§. 5.
Larvati sunt progenies dæmonum.

fuit, serpentinam mentitus formam, ut originali justitiâ protoparentes privaret, suæque ditioni subjiceret, hujus vos asectæ ad peccandum liberiùs larvas assumitis, imaginem Dei in vobis destructum itis. Siquis imaginem Cæsaris aut Monarchæ alicujus indueret habitum morionis & per plateas circumlatam obviorum risui exponeret, an non læsæ Majestatis reus gladios, rotas, rogos mereretur? & vos imaginem Dei in vobismetipsis turpissimè traduentes iram omnipotentis non timetis? prohibens Deus in lege veteri Deut. 22. muliebrem vestem à viro indui & virilem à muliere, causam apponit, *abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* Sufficere nobis hoc severæ assertionis fulmen deberet ad omnem masccaram lacerandam, conculcandam, abominandam, nè coram Deo abominabiles simus. Concilium Gangrense, ut habetur distinct. 30. cap. si quæ mulier, sub anathemate vestes ejusmodi prohibuit, eò quòd sint contra honestatem, verecundiam, castitatem. Et quæ tandem inde vobis voluptas? pudet vos esse homines, pudet esse viros, pudet esse prudentes, pudet esse Christianos; ideo belluas induitis, fœminas agitis, moriones simulatis; gentilissimum revocatis, *Christiani estis omnes*, exclamabat olim Augustinus serm. in Kal. Januar. qui est ser. 59. ex div. *Deo propitio Christiana est civitas, si christiana est, quare gentilizat?* quare S. Maximi provocat & revocat iram hõ. de circũc. contra larvatos loquentis: *nunquid non omnem excedit insaniam, cum decorem vultus humani deturpant, grave utique eorum cor est. Et omni impietate depressum.* O si viveret Franciscus Christianissimus, qui sub bonorum proscriptione aliisque pœnis larvas prohibuit anno 1539. O si viveret Innocentius tertius, qui contra lar-

vas ejusmodi tanquam *turpitudines ludibria & corruptelas* apostolicæ comminationis fulmen projecit! ò si revivisceret in hac urbe laudatissima Longobardorum lex, quæ octuaginta solidi in cujusvis larvæ multam decernebantur, nec aliò quàm diabolorum nomine larvati appellari jubebantur! ò si renovaretur antiqua Anglorum lex, quæ supplicium capitis larvatis omnibus indicebatur, quàm foret terra nostra Anglica & cœlum terrestrevæ vobis iterumque væ larvati! severa vos monet correptio, quam Sophoniæ i. v. 8. justus Deus statuit; *visitabo super omnes, qui induti sũt veste peregrinã;* seriùs aut citiùs; hoc severiùs, quòd seriùs vos visitabit, eandemque quam in fatuas virgines fulminabit sententiam: *nescio vos.* nescit Incarnata Sapientia stultos stultasque suã sic infatuatos malitiã. Mirabile est, quòd nullum unquam stultum Christus in Evangelijs curasse legatur, etsi alios morbos omnes libentissimè persanãrit. Nimirum nihil sapientiæ cum stultis, nihil veritatis cum fictis piëtisque morionibus, nihil Christo mansuetissimo cum Bacchanticis furijs, Vos ego! sed motos præstat componere motus.

Frustra ego ista larvatis, quia stultis; ite ergo per me licet, & quas vultis larvas subite, discurrite, petulcite, insanite, sed & vos pueri clamoribus nequaquam parcite, stultos, stultos, congreginatis vobis proclamate, luto & quisquillijs impetite, hoc enim verò merentur, hoc desiderant, hoc quærunt. habeant ergo quod volunt, non enim injuria fieri potest volentibus; habeant, quòd sapiens præcepit stultitiæ remedium: non decent stultum deliciæ; parata sunt derisoribus judicia & mallei percutientes stultorum corporibus. sapiant iëti. PHI-

C. cum decorem, de vit. & hon. Cleric.

§. 6.
Larvatis debentur probra & verbera.

proverb. 19. v. 10. & 25.